



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Criminis falsa impositio semper est peccatum mortale.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

bum caro factum est, Deus habet & corpus & sanguinem. & non dicitur per modum iniuriantis, quamuis irreuerenter, quam secundo modo dicitur. Et propterea peccatum est graue, non tamen mortale. quia non contra, sed præter Deum est, & tanto grauius, quanto frequentius.

Criminis falsa impositio semper est peccatum mortale.

Calumnia (hoc est falsa, & malitiosa impositio criminis) peccatum est in proximum: quod non sola poenitentia absoluitur, sed oportet satisfacere offenso proximo. Si autem ex errore imponit quis falsum alicui crimen: calumniæ quidem vitium formaliter non incurrit, sed materialiter: & tenetur tam ad poenitentiam peccati, quam ad satisfaciendum offenso & læso: quoniam in culpa fuit errando. Non enim debebat assertiuè proferre id, in quo errasse se postea cõperit & iste cautus præceptus; fuit asserendo illud quod non constat esse verum, in præiudicium præsertim proximi.

Cambium quadrupliciter considerandum.

Cambiorum genera sunt quatuor. Quædam vera & realia, quibus moneta in vno loco ac tempore recipitur, & alio loco ac tempore redditur, prout in loco redditionis tempore restitutionis marca auri valet. Et in his nullum est peccatum cessante omni dolo & fraude. Veruntamen quum hæc ad prolixius tempus sunt aut protrahuntur, vt ex distantiori tempore plus lucri habeatur, ad vsuram declinant, quia cum temporis quo pecunia occupata tenetur, ratio habetur: ad eum vsuræ modum digreditur quo tempus vendi dicitur. Quædam verò sunt non vera, sed paliata, & solo nomine cambia: quibus indigens Romæ pecunia, accipit pecuniam restituendam non Lugduni, sed Romæ iuxta valorem cambiorum Lugduni in sequenti

sequenti